



**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. III. Vtrùm omnis actus in substantia supernaturalis habeat obiectum
formale specie distinctum ab omni actu secundùm substantiam suam
naturali?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

gelum & infimum naturaliter comprehensivè intueri animam rationalem, tunc uterque habebit idem obiectum formale (scilicet ipsam essentiam animæ secundum se immediatè ijs obiectam) & cum uterque videat quiddam in ea videri potest (aliàs enim eam non comprehenderet) neuter aliquid videt quod alter non videat: & tamen dubitari nequit quin prioris visio sit essentialiter perfectior & alterius speciei, quàm secundi: nam aliàs possemus dubitare an vnius visio sit villo modo perfectior visione alterius. nam nulla hîc est ratio cur dicamus vnam esse perfectiorem altera, nisi quia vna procedit à principio essentialiter perfectiore, ex quo vel nullam, vel essentialiter perfectionem maiorem debemus colligere.

17 Secunda pars probatur, quia amor simplicis complacentiæ, quæ scientia aliqua, aut dignitas v. c. mihi placet, & desiderium inefficax, quo eam mihi desidero, & spes, quæ eam spero; habent idem obiectum formale, scilicet bonitatem earum rerum, quæ mihi bonæ & convenientes esse possunt (hæc enim sola, & nihil aliud, in omnibus ijs actibus me ad illarum rerum amorem excitat, ut fusius ostendam in materia de spe:) & tamen sunt actus diversæ speciei, ob solam rationem tendendi, quæ potentia in singulis actibus diversimodè in obiectum tendit.

Ad rationem contrariam, Respondeo antecedens non ita intelligendum, quasi omnis actus omnem suam speciem à solo obiecto accipiat; sed quod omnes actus, qui habent obiectum formale distinctum, sunt diversæ speciei; atque ita neganda est consequentia.

D V B I V M III.

Utrum omnis actus in substantia supernaturalis habeat obiectum formale specie distinctum ab omni actu secundum substantiam suam naturali:

18 Nota, satis constare dari aliquos actus supernaturales, qui necessariò habeant obiectum formale distinctum ab omni actu naturali: quia certum est nullam creaturam posse Deum naturaliter in se intueri, aut per proprium conceptum, & sicut in se est intelligere, qui tamen ut sic est obiectum visionis beatificæ.

Queritur igitur, utrum aliqui actus secundum substantiam suam supernaturales possint habere idem obiectum formale cum aliquibus actibus secundum substantiam suam naturalibus, v. c. utrum amor Dei naturalis & supernaturalis possint habere idem obiectum formale? Quidam id negant, quia tota perfectio & differentia substantialis actuum est sumenda ex parte obiecti formalis. ita Cuiusl. 1.2. q. 109. a. 1. dub. 3. §. 4. cõcl. 2. verò. Secundo, ex parte vniusque. vbi docet, actum procedentem simul à principio naturali & supernaturali non fore in substantia supernaturalem si obiectum sit ordinis naturalis. & art. 3. in initio, verò. Secundo notandum, &

alibi vult dilectionem Dei naturalem & supernaturalem necessariò distingui obiecto formali. Faudent Alexander p. 2. qu. 31. membr. 3. & Richard. in 2. d. 3. a. 7. qu. 1. ad 1. & alij. sed dictam eorum rationem satis in superioribus refutavi.

CONCLUSIO. Actus naturalis & supernaturalis secundum substantiam non differunt necessariò obiecto formali. Hæc est aperta sententia Molinæ in Concordia disp. 7. præsertim §. Nostram sententiam, in fine, & disp. 13. & 14. Vbi fuse docet, nos viribus naturæ posse elicere actus fidei, spei, & dilectionis Dei, etsi insufficientes ad salutem circa eadem obiecta, circa quæ eiusmodi actus prout requiruntur ad salutem per auxilium gratiæ elicimus. docet quæ esse ferè communem sententiam omnium antiquorum Theologorum. Et disp. 32. docet actus supernaturales, quod tales sint, habere non à diversitate obiecti, sed à singulari Dei auxilio actuali aut habituali, quo producuntur. & disp. 14. membr. 1. §. In eadem sententia, fuse probat hanc esse sententiam D. Thomæ, qui 2.2. q. 171. ar. 2. ad 3. & alibi sepius docet dilectionem Dei naturalem & supernaturalem esse eandem secundum substantiam: quod non videtur villo modo ita intelligendum quasi actus caritatis quæ iusti Deum diligunt sit solum accidentaliter, siue secundum aliquem modum supernaturalis (sicut enim hoc verum non est, ita parum est credibile D. Thomam hoc sensisse) sed quia habent idem obiectum formale, atque ita secundum speciem, quam præcisè ab obiecto accipiunt, inter se conveniunt.

Probatur Primò, quia, ut ostendi dub. 1. & 2. etsi duo actus habeant idem obiectum formale, si tamen vnus procedat à principio in ratione principij siue virtutis effectiue essentialiter perfectiore, ipse erit essentialiter perfectior: at qui potentia coniuncta habitui alijs auxilio secundum substantiam suam supernaturali est principium essentialiter in ratione principij perfectius sola potentia naturali: ergo si utraque potentia agat circa idem obiectum formale, illius actus erit substantialiter perfectior, & consequenter supernaturalis in substantia, nulla autem est ratio cur negemus utrumque actum posse versari circa idem obiectum, ut magis ex dictendis patebit.

Probatur Secundò, quia dilectio qua Deus propter se diligitur, siue sit naturalis, siue supernaturalis, habet idem obiectum formale, scilicet bonitatem Dei, quæ in se bonus est, quæ est eadem siue quis diligit Deum amore naturali, siue supernaturali: ergo uterque actus potest habere idem formale obiectum. Quidam negant anteced. voluntque Deum esse obiectum amoris supernaturalis prout est auctor rerum siue donorum supernaturalium; amoris verò naturalis, quatenus est auctor rerum naturalium. Sed hæc optimè refutat Scotus in 3. d. 27. §. Contra primam viam. Quia etsi hæc considerationes siue rationes formales possint excitare in nobis diversos amores concupiscentiæ, quibus Deum diligimus tamquam nobis bonum, siue ut bonum nostrum; tamen sunt omnino impertinentes ad diversitatem amorum amicitia,

Alexand.
Richard.

19

Molinæ.

D. Thom.
Qua ratione
D. Thom.
dicat amorē
Dei naturalem
& supernaturalem
esse substantialiter
eandem.

20

21

Scotus.

tia,

Caritas ten-
ditur Deum
non ut aucto-
rem con-
naturalis aut
supernatu-
ralis, sed
precise qua
in se bonus
est.

22 Dices, Deum esse auctorem istorum bono-
rum non habere rationem obiecti formalis, re-
spectu amoris amicitiae ratione iam dicta, quasi
Deum deo amaremus ut haec vel illa nobis con-
ferret (sic enim pertinere ad amorem concu-
piscientiae) sed quia illa indicant in Deo diuer-
sam bonitatem, ob quam dignus est amari.

23 Sed contra Primò, Deus non solum est bo-
nus, & amore dignus, ac caritate amandus, quia
est auctor istorum bonorum, sed etiam ab his
abstrahendo, quia in se bonus est. hinc etsi per
impossibile haec non ab eo, sed aliunde habere-
mus, tamè esset verè propter suam bonitatem a-
mabilis; & caritas sub hac ratione, siue quatenus
in se præcisè bonus est, propriè in eum tendit.
nam etsi consideratione donorum ipsius exci-
temur ad considerationem bonitatis, & amabi-
litate ipsius, tamen postea caritas in eum fer-
tur sine respectu ad dicta, purè ob intrinsecam
ipsius bonitatem.

24 Secundò præcipui Sancti sæpè excitabantur
in amorem Dei ex consideratione creaturarum;
inde concludentes quàm ipse in se bonus, pul-
cer & amabilis sit, qui haec tam bona, pulchra, &
amabilia fecerat; ita non considerabant tunc
eum ut auctorem rerum supernaturalium: &
cùm tunc in feruentissimos amoris actus erum-
perent; incredibile omnino est eos solum eli-
cuisse actus amoris naturalis.

25 Tertiò, ponamus aliquem sine habitu qui-
dem caritatis supernaturalis, ita tamen aliàs ex
interna aliqua dispositione constitutum, ut ex
consideratione bonitatis Dei possit faciliè in se
amorem erga eum excitare, si ei ut propter se a-
mabilis eum modè obijciatur. ac deinde aliquis
ei valdè accommodatè ad ipsius sensum, pro-
ponat quanta Deus ipsum amantibus bona pro-
miserit, & inde ostendat quàm in se bonus &
amabilis sit; ille què haec firmiter credat, qua-
cumque demum fide: Deus què ei solum det
auxilia necessaria ad amorem in substantia na-
turem elicendum. Peto vtrum tunc poterit
Deum propter se amare? sanè ego nullo modo
video, si talis possit induci in amorem Dei ex
consideratione donorum ipsius naturalium,
quare non possit in eum induci ex considera-
tione supernaturalium. quod si concedamus,
etiam concedendum erit, Deum ut auctorem
rerum supernaturalium posse amari amore na-
turali.

26 Responder ad hæc Curiel 1. 2. q. 109. a. 3. dub.
1. §. 3. verè. Responderetur negando, &c. talè posse qui-
dem habere Deum qua auctorem rerum super-
naturalium pro obiecto amoris materiali, non
tamen pro formali: quia hoc obiectum est su-
pernaturale, atque ita improporcionatum a-
ctui naturali. Sed contra, etsi Deus ut talis sit
obiectum supernaturale, Primò, respectu con-
secutionis, quia nimirum non possumus eo vi-
ribus naturæ frui, eum què hac ratione, aut ipsius
dona consequi; Secundò, aliquo modo res-
ponde de act. supernat.

ctu cognitionis, quatenus sine vlla reuelatione
non potest ut talis cognosci; tamen posita reue-
latione possum alicui id mihi narranti, viribus
naturæ assentiri, eum què ut talem amare. nam
respectu huius amoris non est obiectum super-
naturale: nulla enim est ratio id dicendi. Simili
modo etsi clara Dei visio nequeat à nobis natu-
raliter obtineri, hoc ipso tamen, quo quacum-
que fide credimus eam multis à Deo superna-
turali ratione conferri, possumus naturaliter de-
siderare, ut eam nobis ea ratione conferat: quia
respectu talis amoris non est obiectum super-
naturale.

27 Ob has rationes alij negant nos posse amo-
re naturali Deum verè propter se diligere. Sed
in hoc repugnant communi sententiæ Theolo-
gorum agnoscentium amorè Dei naturalem. &
quàmvis fortè nequeamus iam Deum purè propter
se, super omnia diligere sine vlla gratia; tamen
hoc certum est, ad hoc sufficere gratiam secun-
dum substantiam naturalem, qualis in statu pu-
ræ naturæ sufficisset; quo casu ille actus ab solu-
tè fuisset naturalis, quia tunc illa gratia fuisset
verè ordinis naturalis; quia illi statui quasi an-
nexa ac debita, & ob finem merè naturalem da-
ta: iam verò est supernaturalis secundum mod-
um, quia non datur nisi propter merita Chri-
sti, & in ordine ad finem supernaturalem. sed
hæc intrinsecam speciem actionis non variant:
indè cùm eam nobis ob hunc vel illum finem dari
sint respectus ipsi gratiæ omnino extrinseci, eam
in se physicè nullo modo variant, & consequenter
nec variant actum inde procedentem: quamvis
utraque variant aliquo modo moraliter.

Idem ostendi potest in actu spei, & fortè et-
iam fidei, ut suo loco probabimus. Sed hæc cla-
rissima sunt in virtutibus moralibus: si enim vi-
ribus naturæ possum velle castè viuere, quia hoc
homini honestum est; quare similiter non po-
tero id velle, quia homini Christiano honestum
est? qua ratione erit etiam obiectum castitatis
infusæ. Item si possum naturaliter velle seruare
promissam homini, quia fidelitas hoc exigit; ac
facere præcepta Superioris, quia obediètia hoc
exigit; quare non potero similiter seruare pro-
missam Deo, & facere præcepta à Deo, quia fide-
litas & obediètia Deo debita id exigunt?

Dices, D. Thom. 1. 2. q. 109. a. 3. ad 1. distinguit
dilectionem Dei naturalem à supernaturali:
quod illa Deum diligit super omnia prout est
principium & finis naturalis boni; hæc verò
prout est obiectum beatitudinis: ergo ipse sen-
tit has dilectiones necessariò distingui obiecto
formali.

Respondeo, nego consequentiam. quia
D. Thomas ibi non distinguit eas dilectiones
ratione diuersorum obiectorum, neq; assignat
ijs diuersa obiecta; sed distinguit eas, quia vna
fertur in Deum eminentiore modo, siue actu in
se longè perfectiore, quàm altera; atque vna di-
ligit Deum, prout conuenit diligi auctorem &
finem bonorum supernaturalium, siue amore
ad hoc proportionato. Vnde non dicit carita-
tem diligere Deum prout est obiectum amoris
supernaturalis, sed secundum quod est obiectum
beatitudinis (id est amore ad huius consecutio-

27

28

29
D. Thom.

Qua ratione
intelligendū
quod Deus
amore su-
pernaturali
diligatur ut
auctor rerū
supernatu-
ralium.

H 3 nem

nem proportionato) & secundum quod homo habet quamdam societatem specialem cum Deo. id est, quatenus est per habitum supernaturalem eleuatus ad esse quoddam diuinum, & factus potens elicere actus supernaturales. Vbi satis aperte totam differentiam horum actuum refert in diuersitatem principiorum siue causarum efficientium; atque ita nostra sententia omnino fauet: & sic forte multi alij auctores, qui horum actuum obiecta videntur distinguere, explicari possent. Quod vel ideo faciendum puto, quia si eorum verba omnino proprie accipias, non tam definiunt obiectum amoris amicitiae, quam concupiscentiae siue spei, ut ostendi num. 21.

D V B I V M IV.

Vnde actus supernaturalis accipiat specificam suam differentiam, quae a naturali distinguitur?

30. **H**oc dubium duplicem potest habere sensum: potest enim intelligi Primò, de intrinseca ratione formali, à qua actus supernaturalis tamquam à forma sibi intrinseca habeat quoddam essentialiter perfectior, adeoque excellentioris speciei, & superioris ordinis, quam naturalis. Secundò, de causa extrinseca, à qua prouenit quod ille talem formam habeat, hic autem non. & in utroque sensu facilis erit solutio ex superioribus dubijs.

31. **R**espondeo igitur Primò, actus supernaturalis intrinsece & formaliter specie differt à naturali, ratione intrinsecae sui esse, & cuiusdam substantialis excellentiae ac perfectionis, qua actu naturali essentialiter est perfectior; sicut homo differt à bruto per rationalitatem.

32. **R**espondeo Secundò, hæc excellentia, qua actus supernaturalis alterum superat, non prouenit semper ab obiecto formali, quod sæpè in utroque idem est, sed sæpius à principio effectiuo, siue ab auxilio supernaturali actuali vel habituali; quod vnà cum potentia constituit principium effectuum in ratione virtutis actiue essentialiter perfectius, & altioris ordinis, quam sit potentia naturalis secundum se; ideoque vnà cum ea effectum essentialiter perfectiorem, & altioris ordinis producit, quam illa se sola produceret. Sequitur ex dictis num. 9. & 20.

33. **V**t autem supradicta omnia clariùs intelligatur, præsertim in actibus intellectus (ex quorum analogia possumus ratiocinari de actibus voluntatis) Nota actum intellectus esse quasi quamdam viam picturam, siue imaginem rei intellectæ; hanc formaliter representantem, sicut imago representat suum obiectum, siue prototypum. atque ita sic se habet obiectum respectu actus intellectus, sicut prototypum respectu imaginis. Sicut enim actus intellectus procedit aliquo modo tamquam à causa obiectiua & exemplari, à suo obiecto, ita eodem modo imago procedit à suo prototypo. Item sicut externa imago habet quidem à prototypo ad cuius similitudinem depicta est, quod sit imago

hominis, aut leonis, aut equi, &c. & hac ratione accipit ab eo speciem: quod tamen sit tam perfecta, tam pulchra, &c. habet à præstantia pictoris, & pulchritudine ac perfectione colorum. vnde sæpè fit quod imago canis sit absolute perfectior & præstantior imagine Regis, quia illa ab artifice per elantiore facta fuit. Hinc si duo pictores, quorum vnus haberet artem pingendi specie præstantiore alio, depingerent eiusdem rei imaginem quam possent excellentissimè, ita ut prior quantum excellit artificio pingendi, tanto etiam melioribus vteretur coloribus; clarum omnino est huius imaginem fore specie perfectiorem imagine alterius.

Simili modo intellectio habet quidem ab obiecto formali, quod sit intellectio talis rei, atque hac ratione ab eo accipit aliquam diuersitatem specificam (intellectio enim hominis & bruti, necessariò sunt diuersæ speciei) tamen quod sit multum aut parum perfecta, habet à principio effectiuo. Certum enim est, perfectiorem intellectum perfectiorem intellectionem producere; idque non solum perfectius rem intellectam exprimendo; & quasi perfectiorem modo illius lineamenta ducendo, sicut pictor præstantior, qui eisdem cum alio vrens coloribus, perfectius tamen prototypum exprimeret; sed sicut is qui quanto præstantiorem habet artem, tanto perfectioribus coloribus vteretur.

Hæc enim est differentia inter imaginem pictoris, & illam quam intellectus conficit, quod cum illa constet lineamentorum ductione & coloribus, illam quidè pictor ex se conficit, hos verò alius accipit; atque ita colores non semper respondent artificio pictoris. Contrà verò intellectio totum omnino suum esse à potentia intellectiua accipit, atque ita fit, ut quæ procedit à potentia perfectius agente, se tota sit perfectior, & ut ita loquar, secundum colores & lineamenta, siue secundum entitatem & rationem imaginis.

Dices, Effectus sequitur debiliorem partem suæ causæ: ergo effectus causæ partim naturalis, partim supernaturalis, erit solum naturalis, sicut conclusio sequens ex propositione certa & solum probabilis, est solum probabilis. Respondeo, antecedens posse dupliciter intelligi. Primò, ut solum dicat eiusmodi effectum semper esse minus perfectum, quam esset si causa ex omni parte esset æquè perfecta: v. c. quando duo leuant aliquod pondus, quorum vnus habet vim agendi ut viginti, alter ut sex; sequitur minor effectus, quam si vterque haberet vim agendi ut viginti. & in eo sensu antecedens est quidem generatim verum, tamen nihil facit ad rem; nam solum probata actum productum à potentia instructa habitu supernaturali, esse minus perfectum, quam esset si ipsa potentia in virtute agendi corresponderet perfectioni ipsius habitus. Ex quo nullo modo sequitur, eum actum esse naturalem, siue non esse perfectiorem, eo quod potentia sine illo habitu posset producere.

Secundò, potest intelligi, ut dicat eiusmodi effectum numquam esse perfectiorem, quam sit virtus agendi partis debilioris ipsius causæ, siue

34. Quia ratione intellectio accipit speciem ab obiecto, quia ratione à principio effectiuo.

Perfectior intellectus duplici ratione perfectiorem elicit intellectiua.

35. Differentia inter pictorem & intellectum.

36

Quia ratione effectus sequitur debiliorem partem suæ causæ.

37

Quænam imago accipiat ab obiecto: quæ a iuncta.

Verbum mentis est viua imago rei intellectæ.

Actus supernaturalis per suam intrinsecam differt à naturali.

Actus habet suam supernaturalitatem à principio effectiuo.